



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

12. S. Clara

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

quid meriti, & præmii in nobis operata fuerit Divina gratia, id semper pro semper solis animabus in purgatorio attribuamus. Nil inde perdimus; sed reddentur nobis omnia cum foenore. Per hanc Octavam quotidie oremus Vesperas ex Officio defunctorum. Et quid obstaculi, ut tam modicum charitatis pensum non reddamus?

Festum S. Claræ, Matris Seraphicæ.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! Qualem hodie colimus Matrem? Christo Jesu gratissimam. Quem & S. Clara verbô, & factô in seipsa expressit. Ut patientem quidem; quia jejuniis, ciliciô perpetuô, nudis pedibus, & sarmentis pro strato quotidianô utebatur tortor, & Martyr sui rigidissima. Hæc tenera Virgo potuit. Cur corpori, & sanitati ita timemus? Sic plerumque insanus in nobis prævalet sensualis amor, proprius amor, & futilis mortificationis timor. Sed ô Bone! Quid præ-

U 7

stat?

stat? Corpus vel hîc, vel ibi cruciari?
Quid hîc sana ratio?

Instructio meritoria.

Amor sui diu prævaluit! Discat & hic
fatalis animæ inimicus, tandem subesse.
Chare! Ad pugnam provocemus,
unum, alterúmve virtutis statuamus ex-
ercitium amori proprio extremè contra-
rium, v. g. aut dormiendô in nuda hu-
mo, aut S. cilicium portando, aut op-
timum cibum sibi subtrahendo. Hæc
timet caro: Sed sine prudentia. Mor-
tificemus nos ipsos amore Christi, ne
cruciari debeamus rigore justitiæ. Pro
dono austeritatis Christianæ *Rosarium
dolorosum.*

II.

CRudeles barbari impetum faciunt
in S. Clarae Monasterium, exitium,
& mille mortes minantur. Quid Vir-
go? Ad Jesum confugit, filias suas hu-
jus curæ, & Providentiæ committit, ro-
gans: Domine Jesu! ne tradas bestiis
animas confitentes tibi. Et ecce! mox
audiat respondentem: *Ego semper cu-
stodiam vos.* Nos quorsum confugi-
mus

mus tempore tribulationis, necessitatis, angustia? O si ad Jesum! & non ad homines, vel ad proprias vires! Quàm tutiores staremus contrà inimicos! Quàm citiùs liberaremur à malis, & pressuris nostris!

Instructio meritoria.

Sine pressura, sine afflictione non possumus vivere: Ergò nec sine refugii loco, & optato auxilio. Ubi inveniemus? Vel in Ecclesia coram Tabernaculo Venerabilis Sacramenti, vel in nostro cubiculo coram Crucifixo. Hic flectamus, nostras necessitates in cor Jesu deponamus, & flebili voce cum Davide oremus Psalmum: *Ad Dominum cum tribulaver, clamavi: Addendo quinque Pater & Ave* in honorem quinque vulnerum Jesu. Hæc requies nostra. Clamemus! Pulsemus! Aperietur! exaudiemur.

III.

MAurorum vim ut Sancta retunderet, curavit, irruentibus jamjam barbaris, monstrari Augustissimum S. Altaris Sacramentum. Quò visò impii perterriti illicò fugerunt. Habemus quo-

quotidie in oculis hoc sacrosanctum
amoris pignus : Cur non utimur pro
animæ munimento ? Cur toties cedi-
mus, & succumbimus inimico ?

Instructio meritoria.

Pudor est ! præeunte rege timere ini-
micum ? Est Christus Jesus ubique no-
biscum ! & terremur ? O milites Chri-
sto indignos ! renovemus datam toties,
& juratam ei fidem ! renovemus, præ-
cipuè diebûs festivis, & S. Communio-
nis, cui gratitudinis locò semper junga-
mus actum specialis virtutis, per quem
probabimus, cui vivere cupiamus. Ta-
les actus esse possent, si in die S. Com-
munionis rarò inter homines, cautissimi
in lingua, modesti in oculis, abstemiini
refectionibus esse satageremus. Meretur
tantus hospes, meretur & dies, quæ cau-
sa multæ, & magnæ sanctitatis nostræ.
Ut tamen vivamus perpetuò sub prote-
ctione Dei Eucharistici, recitemus offi-
cium minus de Suavissimo S. Altaris Sa-
cramento.

Dies